



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 23. Lauretani tēpli opule[n]tia Eugenio IIII. Pont. Max.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

Lauretani templi opulentia Eugenio Quarto Pont.

Cap. XXIII.

Fl. Blondi
Stimulium.

Eugenius Quartus Martino subiectus simul urbanis
urbis, simul nefarijs Basilæensis Concilij iam corru-
pti decretis exagitatus, insuper Felicis V. Pseudopontifi-
cis schismate, & Florentino Concilio ab se indicto impli-
citus, spatium fere nullum habuit de Lauretanæ Domus
ornamentis cogitandi. Verum Flavius Blondus qui Eu-
genio ab epistolis fuit, historicus illis temporibus haud
ignobilis, veluti Pontificis vicem implens Lauretanam
Virginis cellam amplissimis verbis ornauit. *Recanetum in-
ter, & Adriaticum mare* (inquit) *paululum a Mutione fluuio
recedit celeberrimum totius Italia, ut in aperto, immunitoq;
uico sacellum gloriose Virginis Mariae in Laureto appellatum;
quo in loco preces supplicantium a Deo genitricis suae inter-
cessione exaudiri, illud maximum certissimumque est argu-
mentum, quod eorum, qui uotis exmissis exauditi fuerunt, ex
auro, argento, cera, pannis, ueste, linea, lanaeque appensa do-
naria magno luenda precio, basilicamque omnem pene comple-
tia, Episcopus in Dei Virginisque gloriam intacta conseruat.*
Ex quo satis apparet, quæ fama, quæ religio, quæ cele-
britas Lauretanæ Domus, quæ varietas, & copia dono-
rum fuerit Eugenio Pontifice, hoc est anno post Christum
natum circiter MCCCCL. Qui annus Iubileo celebri
Lauretanam de more auxit celebritatem, opulentiamque.
Sub id tempus Franciscus Sfortia, Philippi Vicecomitis
Mediolanensium Ducis impulsu, bellum aduersus Ponti-
ficem gessit. Et Piceno qua vi, qua dolo in suam ditio-
nem redacto, victor B. Mariæ Lauretanæ templum fama
celeberrimum uisere statuit. Præerat Piceno cum summa
potestate Ioannes Vitellescus Recinetensis Antistes, vir
consilio, manuque promptus. Is ergo veritus nequid de-
trimenti sacellum donis opulentum caperet ab insolenti

Blon. lib. 5.
Dec. 3.
Sabel. lib. 2.
En. 10.

Io. Vitelle-
scus Epi. Re-
cine.

victoria

victoria milite; materiam auaritiæ subtrahere occupat: & præcipua Lauretani templi ornamenta clam in nauim ad id paratam imposita secum propere Venetias primum, inde Rauennam asportat. ita, & sacrilegij materies subducta, & sacra dona in tutum recepta; ac deinde sedata illa tempestate, reportata. Nec dubium Deiparæ præsidium per ea tempora in Aede Lauretana tuenda apparuit. Nā cum diuturno, grauique bello tot exercitus Sfortiæ, Pontificis, Alphonsi Regis Neapolitani toto Piceno impune volitarent, tot copiarum Duces Lauretum accederent; tamen in direptione tot oppidorum, atque urbium, vicus immunus, templi opulentiæ, vt tum res erant, inclytus, semper intactus, inuiolatusque permansit: tanta seu loci sanctitas apud homines, seu Virginis tutela rerum suarum fuit,

*Lauretana Domus à Nicolao V. Indulgentijs
augetur, contra vim Turcarum mu-
nitur. Cap. XXIV.*

Nicolaus inde Quintus Eugenio mortuo, Pontificatū excepit, qui ne à Martino in B. Mariæ cultu vinceretur, Lauretanam eius cellam Pontificijs muneribus auxit. Videbat diem B. Virgini ab Angelo salutatæ sacrum maximè insignem illi Domui, ac memorabilem esse; quippe cum Deus eo ipso die inibi naturam humanam induisset. Latissimam ergo illam lucem, qua iacta sunt fundamenta salutis humanæ, anniuersaria Indulgentia decorauit. Ex quo templum Lauretanum, vt tanti mysterij memoria dignum erat, quotannis illo die eximie celebrari est cœptum. Porrò Nicolaus Lauretana Aede Indulgentijs cohonestata, opulentiæ quoque ædis consulendum putauit. Igitur magnopere cauit, ne Lauretana dona auerterentur, neue diuenderentur, arcens ingressu Eccle-

fiæ

Nicolai V.
Benef.

Hier. Aug.